



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Libri// Officialis// Sive Agendae S.// Ecclesiae Treverensis
Pars// Prior**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Avgvstae Treverorum, 1574

VD16 A 766

Cyclus Decem noualis aurei numeri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72595)

DECLARATIO KALENDARII.

IN Calendario positus est primò Aureus numerus, deinde literæ Dominicales, & Feriarum, tertio numerus Kalendarum, Nonarum & Iduum, quarto, dies cuiusque mensis, cum festis Sanctorum suo loco.

AVREI NUMERI ET PASCHAE INVENIENDI RATIO.

Ordō numerorum ab vno ad decem nouem inferius descriptus, cyclus decēnouennalis aurei numeri dicitur: (quia singulis decē nouem annis, cuique anno vnum numeri illius tribuendo, cyclus ipse expletur, & in vnum redit) quem Romani ab Alexandrinis accipientes, cum valde vtilem ad inueniendum Lunæ & Solis congressum, seu coniunctionem cognouissent, aureis literis suo Calendario inscripserunt. Eo Ecclesia vtitur ad inueniendum sanctum Domini Pascha, vnde & alia festa mobilia sumuntur: inuenio per annos à Natiuitate Domini (quæ secundo Aurei numeri anno fuit) Aureo numero anni currentis, hoc modo Anno Domini M. D. LXXIII. reijciatur Anni M. D. & diuidatur anni LXXIII. per XIX. quibus diuisis, ac etiam reiectis, supererunt XVII. qui erit Aureus numerus anni currentis. M. D. LXXIII. & eodem modo in sequentibus annis per alios annos à Natiuitate Domini inuenitur. Inuenio Aureo numero anni currentis, per eum inuenienda est prima Luna, quæ AEquinotium vernale proximè antecedit: quod Ecclesia præsupponit fieri XXI. Martij, secundum tempus, quo Canon de celebrando Pascha in Concilio Niceno editus est: & post triduum à coniunctione (secundum Ecclesiæ consuetudinem ex Lege Moyfis seruata, quando Næomenia, seu noua Luna dicitur) enumeratis quatuordecim diebus, ita vt quarta decima Luna semper veniat post AEquinotium: alioquin quatuordecim dies numerandi essent à prima Luna, qui proximè post AEquinotium venirent, prima Dominica, post decimam quintam diem, à dicta prima Luna, ne cum Iudæis (si fortè quintadecima dies esset Dominica) conueniamus ex decreto Victoris Papæ & Nicenæ Synodi dies sanctus Paschæ celebrabitur. Verùm quia Aureus numerus propter quasdam temporis minutias, quibus Lunaris Cyclus cum Solari cursu non congruit, multis ab hinc annis ad inueniendum nouam Lunam non deseruit, nisi per quinque dies, illis syllabis, IN COELIS EST HIC. contentos retrocedatur ab eo loco, vbi in Calendario positus est, ideo ad eum reductus est locum, qui diem coniunctionis Lunæ cum Sole demonstrat. Ne autem in futurum, vt prius, à loco suo dimoueat, singulis trecentis annis, vnus dies intercalaris remouendus erit, quod fieri incipiet anno M. D. C. C. Locatus autem est hic Aureus numerus in Calendario singulis mensibus eo intervallo, vt vno mense XXIX diebus, altero XXX. idem numerus in vno mense, ab eodem numero insequente mense distet. Quod ideo factum est, quia Luna diebus XXIX & horis fere XII, ad initium sui vnde cœperat, reuertitur.

CYCLVS DECENNOVENNALIS

AVREI NUMERI INCIPIENTIS

AB ANNO 1574

XVII.

CYCLUS DECEMNOVALIS AUREI NUMERI.

XVII. XVIII. XIX. I. II. III. IIII. V. VI.
VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII.
XIIII. XV. XVI.

In hac numerorum serie sic est inuenire numerum Aureum.

Primò quidem numero, scilicet XVII. qui est anni huius currentis, detur annus 1574.

Sequenti verò, qui est XVIII. tribuatur annus 1575.

Tertio porro, qui est XIX. ascribatur annus 1576. & sic deinceps, donec peruentum fuerit ad annum currentem: Vel eum, cuius aureus numerus quaeritur: Finitis annis decem & nouem ad principium denuò redeundum est.

LITERAE DOMINICALES.

C.	B.	A.	F.	E.	D.	C.	A.	G.	F.	E.	C.	B.	A.
						B.				D.			
G.	E.	D.	C.	B.	G.	F.	E.	D.	B.	A.	G.	F.	D.
E.				A.			C.					E.	

In hac tabula litera dominicalis singulis annis sic inuenitur. Prima litera, quae est C. detur annus hic praesens 1574. Secundae, quae est B, tribuatur annus deinde sequens 1575. Tertiae, quae est A & G. subsequens annus 1576. Simili modo fiat in annis sequentibus, & super quam cadit numerus anni, cuius litera Dominicalis quaeritur, illa erit litera Dominicalis, quae si vnica occurrerit annus communis intelligitur, si duplex bissextilis, & tunc superior vsque ad festum S. Mathiae, inferior ad reliquam anni partem seruiet. Finitis annis 28 redeundum est ad principium.

MODVS INVENIENDI QVOTA SIT LVNA CVIVSQVE MENSIS PER EPACTAM.

Epacta nihil aliud est, nisi numerus vndecim dierum quia in anno communi Solari, Luna facit 12. coniunctiones cum Sole: dies superant tertiae decimae: & hi 11 dies sunt Epacta. Anno hoc 1574. est Epacta 7. sequenti anno ad numerum 7 Epactae praecedentis anni addendo 11. erit Epacta 18. anno tertio ad 18 addendo 11. erit Epacta 29. Quod si 11. adiecti Epactae anni praecedentis superant vnam lunationem, hoc est, numerum 30. oportet abijcere 30. & quod remanet erit Epacta sequentis: Vt verbi gratia, Epactae anni 1578. 22 si addideris 11. erunt numeri 33. abiectis igitur 30. remanebunt 3. quae erit Epacta anni sequentis 1579. Et sic semper à principio procedendo cum 11. habebitur Epactae anni currentis: Vt in subiecto Cyclo numerorum ponitur. Qui annus incipit computando Epactam in Kalendis Martij. Animaduertendum tamen quod eo anno, quo Epacta erit 29. sequenti anno additur ad 29. 12. ita vt remaneat Epacta 11. in alijs verò seruetur quod dictum est, addendo semper 11. Ad inueniendum ergo quot dies habeat Luna, numero Epactae anni currentis addantur tot dies quot sunt Kalendae mensium praecedentium à Kalendis Martij vsque ad mensem cuius quaeritur quota sit Luna: addantur praeterea tot numeri quot sunt dies eiusdem mensis, & omnibus numeris simul computatis, inuenietur quot dies habeat Luna in illo mense. Quod si numerus aggregatus, ex supradictis superaret 30. abiectis 30. quod superest sunt dies Luna